DE

INDICO, MEDICAMINE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
MEDICO-THERAPEUTICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE XXVIII. M. JULII A. MDCCCXXXIV
H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRID. CAROL. ROTH,
EICHSFELDIACO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
A. ZIMMERMANN, MED. ET CHIR. DR.
H. GERHARDY, MED. ET CHIR. DR.
G. HARTMANN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

CELEBERRIMO, CLARISSIMO, DOCTISSIMO

IDELER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, IN UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA PRIVATIM DOCENTI, DIRECTORI PARTIS NOSODOCHII CARITATIS BEROLINENSIS MENTE AEGROTANTIBUS CONSECRATIS, SOCIETATUM LITERARIARUM COMPLURIUM SODALI ETC. ETC.

FAUTORI SUMME VENERANDO

NEC NON

VIRO

CLARISSIMO, EXPERIENTISSIMO

LEINEWEBER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO SUPERIORI
IN NOSODOCHIO CARITATIS BEROLINENSI,

PRAEPOSITO MAXIME COLENDO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Proœmium.

Quum ea quae antepileptica dicuntur medicamina, magis fortuito nata, quam probata experientia, nimis jam numero aucta fuerint, ita ut iis ipsis epilepsiae curatio mirum quam complicita sit: si quis ejusmodi novum proferre voluerit medicamen, forsan minus apte agere videri possit, praesertim cum nunc ipsum omnia in Medicina rationaliter tractentur opporteat: nisi id quod nos laudaturi jam sumus novum antispasticum, tantae fuerit utilitatis, ut quam primum proferendum videatur. Facile quidem concedamus, epilepticorum, quos, Indico summo sanatos, Dr. de Stahly (dissertat. de Epilepsia inaugurali, Budae 1832), Prof. de Lenhossek (Salzburger med. chir. Zeit., Jahrg. 1832, Beilage I. Nr. 87), Dr. Grossheim (Med. Zeitung des

Vereins f. Heilk. in Preussen, Jahrg. 1833, Nr. 51) publicaverunt, eorumque quos ego ipse in nosocomio nostro Caritatis Berolinensi, Cel. Ideler et Wolff et experientissim. Dr. Leineweber auspiciis, vel sanatos vel levatos morbo caduco eodem remedio adhibito, vidi, numerum minorem adhuc esse, quam ut qua ratione quaeque epilepsiae species Indico sananda sit, omnino constitui possit. Verumtamen speramus, fore ut, omnibus in quibus Indicum effectu probatum fuerit, casibus reactionibusque organismi et Indici substantiis attente inter se comparatis, therapeutica Indici dignitas mox eruatur atque ita inimica ista opinio, quasi temere aliquid novi medici afferamus, plane rejiciatur.

---

§. 1.
Nonnulla de plantis, quibus pigmentum Indicum inest, ejusque analysibus.

Multae sunt plantae, ex quibus Indicum elici potest. Indigenae quae huc pertineant, nullae, exoticae ex familia Apocynearum Nerium tinctorium (Writhia tinctoria); Asclepiad: Marsdenia tinctoria, Asclepias tingens; Coreopsid: Spilanthus tinctoria; Crucifer: Isatis tinctoria; Polygon: Polygonum tinctorium; Papilionac: Amorpha fruticosa, Galeja tinctoria et Indigofera, cujus multae et species et varietates: Thenard (Repertor d. org. Chem., v. M. G. Th. Fechner, 1. B., 2. Abth. Leipzig 1827) de Indigoferae speciebus ad Indicum praeparandum idoneis haec profert: 1. Indigofera tinctoria in India orientali et St. Domingo ins. culta, multum quidem Indici sed minoris pretii praebet; 2. I. disperma in Ind. utraque melius Indici genus, quod nomine Indici Guatimalensis venditur, suppeditat; 3. I. argentea, in Aegypto, Arabia et Ind. utraque, eadem bonam Indici speciem fert; 4. I. Anil in Ind. utraque; 5. I. cinerea in Ind. orient., 6. I. erecta ad promontor. bo-

nae spei; 7. I. pseudotinctoria in Ind. orient., ex qua Dr. Heyne auctore optima Indici species comparatur; I. glabra in Ceylon ins,; 9. I. caerulea Roxburg (Carnili, quae Indicum coloris pulcherrimi gignere dicitur; 10. I. enneaphylla in Ind. orient.; 11. I. arcuata ibidem; 12. I. Mexicana in America australi; 13. I. angustifolia in Ind. orient. et Africa australi; 14. I. hirsuta in Ind. orient. et Guiana; 15. I. candicans in Ind. orient.

Fabricatur Indicum hac fere ratione: Omnes plantae adhuc florentis partes, excepta radice, ubi recentes in magnis vasis aqua superfusae digeri coeperunt, mox fermentescentes multum gasi acidi carbonici et hydrogenii edunt, interea materia quaedam liquore solvi incipit, qua hic subinde variis coloribus inficitur. Primum enim aqua flavescit vesiculaeque, gasis evolantibus effectae, violaceae apparent, dein liquor in alia vasa transfusus, et ut aëre intus commisceatur, spathulis agitatus, colorem magis fuscum, caeruleum accipit. Jam vero ex aqua admodum turbida praecipitata materia caerulea fundum petit, quae quidem est Indicum pigmentum, fermentatione et oxydatione natum. Quod quidem pigmentum purificatum subque divo siccatum adservatur. Utuntur autem Indicopolae variis cautelis et artibus, quibus ut Indicum citius penitusque secernant (aqua Calcis addita) optimeque siccent (calore artificiali adhibito) et commercio aptius reddant, efficiunt.

Quanti vero sit Indicum, e plantarum speciebus et modo comparationis maxime pendet. Praecipua autem quae vendi solent Indici genera haec sunt: 1. I. de Guatimala et Caracas; 2. I. de St. Domingo Ins.; 3. I. e

Madras et Bengal. (Indic. orientale); 4. I. e Manila, Philipp. ins.; 5. I. e Java; 6. I. e Carolina; 7. I. e Luisiana.

His autem omnibus I. Guatimalense et Caracense (La Guayra) multo praestat, cum multo plus pigmenti contineat minusque partibus alienis inquinatum sit. De quo quidem genere cum ad usum internum a nostris aegrotis adhibitum sit, paullo accuratius disseram mihi liceat. Illius igitur generis tres sunt species: Guatimala flora, Sobre saliente et Cortex, quae pretio sic valent, uti 5 ad 7 ad 10; quaeque ex America Europam navibus vehuntur, pellibus bovinis, (en surons) inclusae. Guatimala flora Indicum de Indigofera argentea et disperma, eodem quo ferrum hydrocyanic. oxydulat. oxydat., ex caeruleo nigrescens, frictum cupreo splendore, aqua multo levius, neque olet neque sapit. Constat hoc Indicum venale ex partibus tingentibus (Indic. merum seu purificatum) et alienis, quae quidem omnes vel aqua vel alcohole vel acidis vel igne (sublimatione) detegi possunt.

Chevreul auctore ex Guatimala Indico

1, aqua extractum est, temperatura 30 — 40° C., digestione XII hor.:

Ammonium

Indicum desoxydatum, colore expers, Indicum viride, Gummi c. materia extractiva	12

2, alcohole fervido, ex residuo, aqua non soluto:

Indicum caeruleum et pars Indici viridis, aqua non soluta, et resina rubra	30

3, Acido muriatico diluto, in quo partes aqua et alcohole jam affectae calefactae erant:

resinae rubrae.........6 ferr. oxydat. rubri 2 Calcariae et Magnesiae....................2	8

Reliquae non solutae partes constiterunt;

Indici puri..............45 Silicii.......................3	48
	100

Berzelius, qui in Indico venali reducto nihil Ammonii detegere potuit, quatuor addit Indici partes proprias: gluten vegetabile (Pflanzenleim), materiam fuscam (Indigbraun), materiam rubram (Indigroth), (resinam rubram Chevreul), mat. caeruleam (Indigblau, Ind. merum).

Indicum caeruleum ad has materias simplices reductum est:

	a Le Boyer et Dumas,		a Crum,	a Ure.
	Indic. sublimatum,	lotum		
Carboneum............	73, 26.	71, 71.	73, 22.	71, 37.
Hydrogenium.........	2, 50.	2, 66.	3, 33.	4, 38.
Nitrogenium..........	13, 81.	13, 45.	13, 98.	10, 00.
Oxygenium...........	10, 43.	12, 18.	7, 88.	14, 25.
	100.	100.	100.	100.

§. II.
Indicum medicamen, quid valeat in organismum.

Primum Indicum praescriptum aegrotis est a Prof. Dr. Ignat de Stahly, qui cum audiisset, tinctorum manus caeruleas fieri ab Indico, si aegrotarent, sin bona fruerentur valetudine, integras manere, de hac re certior fieri voluit, viresne insint Indico organismi functiones mutantes. Elegit autem neuroses, praecipueque spasmos, quibus prospere Indico sanatis, ejus filius, Dr. Georg. de Stahly, in dissertatione sua supra laudata, de Indici virtute nonnulla vulgavit. Quae quidem, quantum equidem audivi, haec fere sunt: „Primis diebus, Indico sumpto, aegroti leviori laborant diarrhoea, quae tamen simulac visceribus magis assimilatum Indicum est, nullo adhibito remedio, sponte evanescit. Dosi autem usque ad ℥ij aucta, nihil reactionis animadverti potest, nisi sudoris excrementorumque color caeruleus.“ — Haec relata eventu probata esse in nonnullis casibus facile assentior; sed in multo pluribus plane alia phaenomena occurrere post Indicum sumptum, optimo jure contendere ausim. Haec igitur sunt, quae nos vidimus:

Plerisque aegrotis, paucis exceptis, vomituritiones et vomitum ipsum Indicum ciet. Eo ipso tempore, quo capiunt hoc remedium, cum neque sapiat, neque oleat, plane nihil sentiunt. Paulo autem post molesto sensu premuntur, quasi guttur angatur, linguaque sapore fere metallico afficiatur. Praeterlapsis aliquot horis (interdum dimidio die et supra) vomituritiones frequentes exoriuntur, dum multum aëris ex ventri-

culo emittitur. Alii aegroti leviter, alii difficulter vomituritionibus afficiuntur, quamvis eandem sumpserint Indici dosin: unde patet, ejus actionem praecipue a constitutione aegroti, maxime vero a nervorum ventriculi receptivitate dependere. Ceterum feminae magis quam viri vomitu vexantur. Rarissime autem evenit, ut nullus Indico vomitus moveatur. Plerumque enim continuo fit Indico sumpto, quum paucis diebus post perbene sese habeant aegroti. Atque ob id ipsum alia apud alios ratio est adhibenda: nam interdum adeo augetur vomitus, ut remedium seponendum sit. Quamdiu autem proni ad vomendum sint, in universum statui non potest; cum alii tres quatuorque dies, alii multo plures eo affici soleant; attamen raro ita vomitu vexantur, ut post aliquot dies nulla intercedat intermissio.

Id vero praecipue notandum mihi videtur, vomitus Indico natos, nullo modo similes esse iis, qui veris emeticis fieri solent. Neque enim ita vehemens est musculorum abdominalium et diaphragmatis contractio, neque dysphoria insecuta animus viresve nimis franguntur. — Materia vomitu excreta nihil alieni praebens, caeruleo colore tincta est. Interdum autem nonnullis horis postquam Indicum haustum est, vomitus liquor penitus commixtus est cum Indico, ita ut eo solutum esse videatur, unde apparet, liquorem ventriculi Indici digestionem efficere posse. Nec quisquam adhuc aegrotorum de sapore ingrato aut inimico materiae evomitae querelas ullas protulit.

Altera aegra affectio, qua tractum intestinalem Indicum infestare solet, diarrhoea est, quae plerumque exoritur, ubi vomitus desiit, tertio scilicet die vel

quarto post Indicum sumptum. Sicuti vero vomitus non apud omnes movetur, ita diarrhoea quoque nonnullis parcit. Quin etiam unius sum memor aegroti, cui ut alvum quotidie exoneraret, laxativis remediis opus erat. Hoc vero rarius accidit. Apud plerosque enim ter quaterque et sexies neque vero saepius quovis die alvus Indico laxatur; sunt autem, quibus facilior tantummodo inde fit alvus. Certa autem lex est, qua, diarrhoea semel exorta, Indici usui continua est, sive per duos menses, seu per tres pluresve datum fuerit. Neque illa fit levior aut rarior, sed potius subinde increscit. Alvi excrementa perraro fluida, plerumque mollia, semiliquida sunt, colore autem tam caeruleo, adeo nigricante, ut tota massa carbonis lignei pulveri aqua mixto similis sit. Vomitum et diarrhoeam saepius cardialgia et colica intestinorum comitantur, quae tamen modicae esse solent; interdum autem eo increscunt, ut Indicum omittendum sit. Aegrotos vomitus expertes magis quam alios doloribus colicis vexari pluries vidi. Diarrhoea non cedente gastrosis facile exoritur, qua ciborum appetitus aufertur atque oppressione caput laborare incipit, id quod usque ad capitis vertiginem augeri potest. Tum vero etiam oculi levi quasi nebula offundi solent. Sed haec coenaesthescos perturbatio omnino raro mihi obvenit.

Omnes aegroti, qui Indicum sumpserunt, nullo excepto, urinam mittebant proprie tinctam, scilicet colore fusco, nigro-violaceo, qui tamen urinae color aliis diei horis alius erat. Fuscus erat maxime matutino, minime vespertino tempore. Copia urinae non aucta erat. Propter hunc ipsum colorem urinae chemi-

cis experimentis, quibus num quid Indici urina solutum sit erueretur, explorata est, sed frustra, cum plane nihil detectum sit, quamvis Ill. H. Roose operationes chemicas, a Hirschberg, pharmaceuta peritissimo, institutas ipse regeret.

Sudorem Indico sumpto tingi, jure negare mihi videor, cum nunquam animadvertere potuerim.

Magni autem momenti esse videtur, quod nonnulli epileptici, posteaquam plures jam hebdomades Indicum ceperant, saepius in convulsiones incidebant, iis similes, quae strychnino nitrico nasci solent, quibusque interdum leviores invicem subsultus tendinum accedebant.

§. III.

Quibus formulis usi simus, quibuscum aliis remediis Indicum conjunxerimus, quantasque ejus doses praescripserimus.

Primum Indicum pulveratum seu praeparatum, alcoholisatum aegroti sumentes mox deinde de magna deglutiendi difficultate multum querebantur. Pulvis enim cum magnum impleat spatium idemque perlevis sit tumidusque, difficillime isthmum faucium penetrans, nimium earum pharyngisque constringendi nisum commovet, ita ut spasmi etiam harum partium inde nasci possint. Hinc potissimum colligi potest, cur pulvere adhibito vomituritiones saepius existant, quam quavis alia forma. Accedit quod Indici pulvis cum saliva difficillime commiscetur, quo fit, ut partim dentibus, partim mollibus cavi oris partibus adhaerere soleat, quod incommodum neque aqua hausta neque alio liquore removeri potest. Quare

pro pulvere facilior formula in usum vocata est scilicet electuarium. Commixta enim Indici parte una cum dua cus syrupi cujusdam et paulo aquae, fit electuarium facile capiendum, quippe quod vacet difficultatatibus, quae pulveri adjunctae sunt; sed aliud affert malum, quod diarrhoeam alit et auget. Attamen cum aegroti, praeser tim sexus feminei, pulverem malint, cumque vomitus magis corpus conficiat quam diarrhoea: electuarium praeferendum mihi videtur.

Gastrosis autem vomitu diarrhoeaque effecta, ne nimis digestioni viribusque organismi noxia fieret, alia remedia corrigentia quae vocantur, Indico addenda curavimus. Qua de causa partim stomachica, partim alvum retinentia remedia una cum Indico praescripta sunt. Itaque Indici et pulveri et electuario pulvis aromaticus ph. Ber. semper additus atque interdum pulvis Doweri datus est, quorum neuter spem nostram unquam fefellit.

Quod ad doses Indici attinet, omnino ea sequenda st regula: quantacunque aegroto cuique conveniat, haec i praescribatur, ita ut initio ad grana, mox ad drachmas, denique ad Uncias dosis quotidiana constituatur. on is sum qui putem; parvis hujus medicaminis partius nihil effici: sed ne curationis tempus nimis proferar, idoneam dari copiam praestare censeo, dummodo rre possit aegrotus. Quo vero major datur Indici dos, eo corrigentia quoquè augenda sunt.

Plerisque aegrotis ita praescripsimus:

a. pulv. Rp. Indic. pulv. ʒß.

Pulv. aromat. gr. v.

D. dos. tal. Nr. VI. S. duo tres vel quatuor pulv. p. d. sumend.

aut: Rp. Ind. pulv. ℥ß.
Pulv. aromat. ʒß.
D. S. tria aut quatuor cochlearia minora p. d. sumenda.

Nonnulli granis X., XV., Scrup. I. pro die initio usi sunt, cum alii eodem ℥ß. et plus bene ferrent.

b. electuar. Rp. Indic. pulv. ℥ß.
pulv. aromat. ʒß.
Syrup. simpl.

M. f. l. a. elect., D. S. p. dies duos consumend., aut dosi aucta p. d. unum, aut duplum die uno.

Fuerunt, qui per tres menses vel plures ℥ß et ℥I quotidie acceperint.

§. IV.

De Indico ad epilepsiam sanandam in nosocomio Caritatis nostro interne adhibito.

Si casus singulos, quibus Guatimala flora Indicum ab aegrotis nostris interne sumptum esse constat, in memoriam revocatos comparare volueris cum ceteris remediis, ut cuinam eorum classi adnumeres inde colligas, in angustiis sane versaberis. Quae enim ejusmodi nobis nota sunt Indicum constituentia, uti Ammonium, ferrum oxydatum rubrum atque salia quaedam, partim pro tota substantiarum summa minora sunt, quam ut classi constituendae sufficiant, partim, quod iis quae de Indici viribus dicta sunt patet, plane nihil earum virium, quibus organismi functiones alias afficere solent, in epilepticis ostenderunt. Hanc ob rem quascunque laudavi reactiones soli Indico, i. e. Indico mero, inesse arbitrer. Valde autem doleo, merum Indicum tam difficile paratu esse,

ut adhiberi non liceat in nosocomio nostro, quamobrem sententiam meam experientia probare non potui. — Cuinam autem materiae medicae ordini Indici vires similes attribuendae sunt? Negari non potest, totum intestinorum tractum, praecipue ventriculum et tenuia intestina Indico magnopere irritari, ita ut non solum uterque eorum motus et peristalticus et antiperistalticus augeatur, sed etiam uterque liquor et stomachicus et entericus copiosius secernatur. Quod quidem utrumque nervis incitatis fieri posse quis non videat? Num vero Indico insit vis, quae vel idiopathice, dynamice nervos, vel membranis mucosis glandulisve chemice affectis, indirecte attingat, hoc in suspenso relinquamus. Similis autem est Indici vis tartari stibiati, ita tamen ut Indicum leviorem in organismum exerceat vim, neque eandem atque ille virium prostrationem efficiat. Priusquam certiora de illius viribus acceperim, ad remedia quae dicuntur alterantia referre liceat. Qua quidem opinione ducti, quomodo epilepsia sanari possit Indico, experiamur. Contrapositis enim cerebro (in cujus aut organicis aut dynamicis malis epilepsiae causa plerumque quaerenda est) et plexu solari, abdominis quasi sensorio communi: intelligi potest, hoc magnopere irritato, illud aegra sua affectione per antagonismum liberari posse. Quae tamen omnia cum accuratius explicare non ausim, nunc mittamus et eas potius quas efficit Indicum mutationes epilepsiae, sicuti experientia nos docuit, enumeremus:

Omnes fere epileptici qui Indico usi sunt, initio saepius afficiebantur spasmis, quam ante Indicum adhibitum. Nonnulli, qui aliquot hebdomades a paroxysmis liberi fuerant, simulac drachmas aliquot Indici acceperant,

tam frequentibus epilepticis impetibus vexati sunt, ut Indicum omitteretur necesse esset. Iidem vero diebus nonnullis vacui, medicamine recepto, iterum saepius in malum suum inciderant. Perpauci fuerunt, qui ab initio quoque intermissionibus gauderent. Omnes autem paroxysmi, initio orti, multo violentiores, at breviores erant, ita ut convulsiones vehementius quidem sed magis abrupte, fortius sed citius absolverentur. Qua de causa aegroti imprimis de artuum dedolatione magis quam antea querebantur. Prodromorum quoque stadium et soporosum breviori tempore decurrebant, quae omnino multo minus quam ipsos spasmos mutata vidi. Haec animadversa sunt per unam, duas, tres hebdomades usque ad octo, prout Indicum, majoribus minoribusve dosibus datis aegrotos affecit. Hoc autem tempore praeterlapso omnia epilepsiae symptomata et vi et tempore remiserunt, insultus magis magisque breves rarioresque facti sunt, donec plane desinerent. Ultimi insultus nihil nisi prodromi erant: leviores horripilationes et levissimae musculorum convulsiones. Apud singulos aegrotos singula quaedam propria observata sunt. Exempli gratia erant, qui stadio prodromorum canere solerent, alii qui stadio insecuto varias res inepte agerent, quae omnia evanuerunt, simulatque morbo levari Indico coeperant. Alii denique tempore intermissionis permultis vexabantur convulsionibus, quae fulguris instar corpus subito percutiebant: hae quoque Indico pulsae sunt.

Genera epilepsiae, in quibus sanandis Indicum est adhibitum, omnia ex cerebro aegro exstitisse videbantur, nullum ex medullae spinalis aegritudine. Apud multos epilepticos viscerum abdominalium desorganisationes quas

vocant, detectae, apud alios nulla ejusmodi causa inveniri poterat. Omnino qui sanati sunt epileptici, epilepsia idiopathica laboraverant: eorum qui morbo quodammodo levati sunt, alii epilepsia idiopathica, alii symptomatica atque adeo unus, cujus epilepsia ex capite contuso orta erat, longioribus intermissionibus Indico gavisus est.

Quum eo quo adfui tempore in nosocomio nostro, nonnisi epileptici Indico usi sint, quoniam alii deerant, de reliquis neurosibus, quae musculorum aegris functionibus positae sunt, nihil habeo quod proferam, id quod quam maxime doleo.

Numerus vero eorum, qui partim sanati, partim morbo levati, partim nihil sanati Indico sunt, hic est:

a. epilepsia sanati:			
	viri	4	
	feminae	5	
			9
b. epilepsia levati:			
	viri	3	
	feminae	8	
			11
c. nihil immutati:			
	viri	4	
	feminae	2	
			6
			26.

De tribus eorum qui sanati nosocomium nostrum reliquerunt, historiam morbi annectere liceat.

§. V.

Historiae morborum.

1.

A. C., honestissimis parentibus natus, anno XXII aetatis, die VI. Februarii mens. ann. 1833 in nosocomium Caritatis receptus est. Erat tenerrima corporis constitutione et tam nervoso habitu, ut quivis primo adspectu nervorum malis eum affectum esse sibi persuaderet. Juventus ejus voluptatum omni genere libidinumque intemperantia adeo imbuta est, ut corporis vires ante justum tempus confectae maxime vero nervorum actiones adeo corruptae sint, ut eorum receptivitas mirum in modum aucta, reactio aeque diminuta sit. Id quod facile colligi potest e pluribus malis nervicis, quibus antea laboravit symptomatibusque ejusdem generis, quae aliis ejus morbis adjuncta fuerunt, denique ex enormi animi agilitate atque ex ipsa corporis constitutione, qua hodieque praeditus est. Nemo enim citius magisve vivide animum corpusve agitat: nemo facilius in animi pathemata incidit, nemo prius inde evadit, quam noster C. Sive musculorum motum spectes, sive oculorum directionem seu linguae usum, ubique nimiam agilitatem deprehendes. — Praeter hanc insignem nervositatem vasorum quoque eximius erethismus aegroto molestiam affert, qui illa excitata simul exortus sanguinis organismum adeo auxit, ut cum nervi saepissime rebus levioriribus concitentur, sanguinis continuis fere congestionibus aegrotus afficiatur. Quo factum est, ut, ante annum animi vehementissime perturbati oblata occasione, spasmi graviores tonici et clonici exorirentur. Qui post

aliquot dies redierunt et quidem tam vehementes, ut medici in auxilium vocati pro spasmis epilepticis eos haberent. Symptomata autem insultus, quae secundum aegroti narrationem eadem atque priora manserunt, utique epilepsiam nervosam spectare apparet. Prodromi desunt. Subinde cetera sequuntur stadia, scilicet: convulsivum, soporosum et, quod praecipue monendum, maniacum, quo quidem mentis non compos aegrotus varia inepte dicit facitque, postea autem, conscientia sui recepta, memoria repetere nequit. Quae quidem stadia quartam fere horae partem explere solent. Hoc igitur morbo epileptico postquam per annum, vario typo, initio pluries quovis mense, deinde bis terque quotidie aegrotus conflictus erat, Caritatis nosocomiam auxilium petitus adiit. Ratio vero agendi et dicendi recepti ea fuit, ut utrum animo magis an corpore laboraret, medici initio in suspenso relinquerent. Sedulo igitur observatus non tam laesam mentem, quam mores maxime corruptos praebuit, ita ut ob id ipsum saepius coërcendus medicis videretur.

Eodem quo receptus est die bis epilepsia afflictus est. Prodromis nullis, pandiculatus de improviso collapsus oculos distorsit, dentibus stridit, muco ex ore albido copiose effuso, subinde tonicis conulsivisque spasmis per vices jactatus est. Voluntarii autem musculi magis quam vegetativi affecti esse videbantur. Neque enim pectus neque abdomen seorsum spasmis implicitum esse crediderim. Jam vero aegrotum, aliquoties alte ducto spiritu, sopor brevis, deinde stadium maniacum longius tenuit. Tum lectulo relicto quasi mente captus huc illuc trepidavit, multa loquens, canens, sibilans.

Quarta demum horae parte transacta, conscientia rediit praesentium quidem neque vero praeteritorum. Ceterum notatu dignum mihi videtur, artuum dedolationem lassitudinemque nequaquam convenisse vehementi musculorum contentioni, quam aegrotus perpessus fuerit.

De morbi symptomatibus aliis atque indicaverat aegrotus neque ipse querebatur tunc temporis neque a medicis tale quid deprehendi poterat. Pulsus concitatus ei peculiaris erat.

Curatio.

Neque systematis vegetativi neque sanguinis corruptio, ex qua haec epilepsia originem quoad causam duxisse videretur, sciscitando est detecta, quammobrem in systema nerveum praecipue agendum esse medici rati per menses sex nervinis utebantur, ut remota asthenia nervorum epilepsiam sanarent. Verumtamen quaecunque in hunc finem praescripta fuerint: rad. Valerianae, rad. Artemis., flor. Zinci, Narcotica quaedam frigida et cet. aegrotus frustra sumpsit. Ne fortioribus quidem remediis: err. hydrocyanic. cum rad. Valer., cum rad. Artemis., Augusto et Septembri mensibus datis, rariores levioresve epilepsiae impetus redditi sunt. Quin lapis infernalis, pro dosi gr. $\frac{1}{16}$, per totum Octobrem et Novembris primam partem sumptus morbum frangere non valuit. Redierunt enim insultus nullo certo typo modo saepius modo rarius quavis hebdomade singulisque etiam diebus neque unquam supra diem sextum remissi sunt. Agitarunt potius eadem vi aegrotum, quotiescunque incesserint. Stadium autem maniacum tam vehemens erat, ut ne aegroti, qui in eodem conclavi versabantur, ullo modo laederentur, C. vincula injici necesse esset.

Itaque cum a Febr. usque ad Decembr. cj. ann. fortiora multa remedia sine ullo eventu tentata essent, die III. Decembr. Indicum ad usum internum hac formula praescriptum est:

Rp. Ind. pulv,
Sacch. alb. aa scrup. dim.
D. dos. XII. S. tres. p. d. dos. sumend., reiterat. cj. mens. dieb. VI., X., XIV.

Initio, diebus V., VI., VIII. et IX. postquam vomituritiones leviores magis quam vomitus exortae erant, spasmi et frequentiores et vehementiores aegrotum concusserunt, ita ut per totum diem nulla fere remissio esset. Deinde autem per triduum nullus extitit paroxysmus. Dosi igitur aucta atque ut, gastrosi leviore jam facta, ventriculo medicamen magis conveniret, stomachali adjuncto, C. sumpsit die XVIII.

Rp. Indic. pulv. ʒß
pulv. aromat. gr. v.
D. dos. XII. S. uti supra.
reiter. d. XXII.

Jam vomitus frequentes, diarrhoea modica, sudor levior. Aegrotus, spasmos semper instare opinans, in eos non incidit. Decimo quinto denique die epilepsiae paroxysmi, quasi prodromi inciderunt neque ex hoc die ullus hucusque (mensibus septem elapsis) insultus rediit.

Remedio autem hoc optimo sumendo pergens, die XXV. accepit

Rp. Ind. pulv. ℥j.
Pulv. aromat. ʒj.
D. S. tria per d. cochl. min. sum.,
reit. XXIX. cj. mens. et d. VIII. Januarii mens.

Quae cum ita sint, optimo jure arbitrari licet, C. nostrum ita sanatum esse, ut hoc certe tam grave atque infestum ejus malum egregii illius remedii virtute non in praesens modo repressum quodammodo levatumque videatur, sed in omne potius tempus prorsus extinctum penitusque deletum.

2.

M. H. ancilla, annos XXI. nata, habitu fere apoplectico, plethorico, usque ad vigesimum vitae annum optima valetudine gavisa est. Superatis enim quibus infantes affici solent morbis exanthematicis, omnes et animales et vegetativae corporis functiones optime processerunt. Menstruatio sine molestiis exorta, et copia et qualitate semper regularis usque ad XX. ann. perduravit. Hoc autem tempore postquam pedum transspiratione suppressa praecipitem refrigerationem contraxerat, menses eo ipso tempore fluentes subito cesserunt. Tum vero sanguine per diversas corporis partes diffuso, primum abdomen dein caput congestione ejus prava aegrotare coepit. Per consensum nervi quoque, praesertim plexus solaris, digestione et excretione alvi perturbata et retardata, functionibus anomalis affecti sunt, ita ut levior hysterismus mox existeret. Exinde igitur medicus consultus cum causam morbi cognosset, primum antiphlogisticis remediis, deinde pellentibus attrahentibusque mensium fluxum restituit. At remanserunt nervorum anomalae actiones: vertigo et dolor capitis periodicus, susurrus aurium, languor artuum, praecipue crurium, dolores abdominis vagi, colici, cardiaci, pravus ciborum appetitus, rara alvi excretio. Ita igitur praedisposita puella cum animi aegritudine improvisa vehementissime affecta esset, in epilepsiam incidit medio fere Julio mense ann. 1833. Qui quidem epilepsiae insultus, hebdomadibus tribus interpositis quum iterum aegrotam invasisset, initio (Septembr. mens.) per menses duos trium, deinde duarum hebdomadum typum secutus est. Qui quum subinde evanuisset, primum septimo quoque die, deinde quarto, postremo singulis diebus atque adeo ter, sexies, octies eodem die paroxysmus rediit.

Quae cum ita essent, puella in nosocomium nostrum Caritatis, ubi sanaretur, est recepta die primo Octobr. mens. ann. 1833.

Querebatur igitur aegrota de capitis doloribus, de alvi rarissima excretione. Appetitus exiguus, lingua muco albido quantulocunque erat obtecta. Pulsus concitatus, paulo tensus erat. Ante ipsum diem quo recepta erat biduum aegrota spasmis vacaverat. Ceterum monendum mihi videtur, mensibus antecedentibus duobus catamenia justo tempore et large magis quam parce

fluxisse, unde colligi potest, epilepsiam, primo sanguinis congestionibus versus caput ortam, tunc, hac causa remota, magis a systemate nerveo aegrotante, quam ab irritabilitate aegra pendere coepisse, quae quidem opinio venisimilior eo fit quod novissimo tempore nullus spasmorum typus usquam existeret, qui initio mensium moliminibus quibusque erant commoti.

Curatio.

Octobr. et Novembr. mensibus, quibus aegrota medicaminibus, quae caput derivando levarent, curata est, epilepsiae fere nulla mutatio effecta est. Interdum dierum sex intermissio incidit. Itaque Indicum adhibendum visum est. Accepit igitur die XXII. Decembr.

Rp. Indic. pulv. ℥j.
pulv. aromat. ʒj.

M.D.S. p. d. tria aut quatuor cochl. minora sumend.

Tribus cochlearibus sumptis et si vomitus effectus esset, perrexit tamen aegrota eodem medicamine uti. Die sequente sex epilepsiae insultus, antecedentibus multo vehementiores, breviores tamen aegrotam tentarunt. Nullis indiciis monita postquam ex improviso prolapsa erat aegrota, spasmi tonici et clonici primum inferiorum extremitatum, deinde superiorum per quatuor et quinque temporis momenta corpus vehementissime ad utrumque latus jactaverunt, quibus tamen neque caput neque pectus affectum est. Ubi autem aliquoties altius spiraverat, spiritu ducto ex imo pectore, stadio soporoso duorum aut trium momentorum secuto, paroxysmus desiit. Deinde per duas hebdomades Indico adhibito atque in diem rarioribus paroxysmis redditis, initio Januarii mensis epilepsia plane evanuit. A quo tempore usque ad Martium mens. medicaminibus omnibus sepositis, die III. huj. mens. Indic. ℥ß. in electuarii formula cum pulv. aromat. aliquoties sumpsit, ut, num insultus, iterum Indico suscitati, redirent, certiores fierent medici. Reconvalescentia autem perduravit. Itaque die XIV. Mart. mens. puella pro sanata ex nosocomio nostro dimissa est. Adhuc, mensibus fere quinque praeterlapsis, omnibus spasmis vacavit.

3.

E. H., sartor, XXX ann. natus, corpore satis robusto, temperamento sanguineo — phlegmatico est praeditus. Habitui et apoplecticum et phlegmaticum partici-

panti nihil fere nervosi inesse videtur. Neque dyscrasiae cujusquam adhuc persistentis ulla signa in conspectum venerunt, nisi facici et oculorum colore attentius observato, abdominis organa, praecipue hepar laborare functionibus perversis censere velis. Anamnestica quae nobis suppeditavit aegrotus, haec fere sunt. Aetate puerili omnimo bona valetudine se gavisum esse ait, septimo autem vitae anno glandulas maxillares adeo et intumuisse et exulceratas esse, ut cultro removendae essent, cujus operationis cicatrices adhuc videre licet. Quo facto nullis scrophuloscos malis usquam affectum usque ad aetatem puerilem optima valetudine usum sese esse. Nutritione autem posthac nimis aucta, qua sanguinis copia justum modum excesserit, se ejus variis congestionibus affectum esse. Quae quidem vasorum abnormis agitatio, per tres fere annos non cessit; tum vero salutaris orta est epistaxis, quae bis per annum, auctumnali vernoque tempore suscitata, congestiva mala fregit. At enim hac naturae vi medicatrice ante menses quinque suppressa, sanguinis congestiones caput pectusque aegroti iterum vehementissime invaserunt. Oppressum enim erat caput tam gravi dolore eodemque obtuso tantaque vertigine, ut quascunque aegrotus adspiceret res ante oculus circumferri viderentur atque adeo interdum conscientiam sui subito amitteret; nec reliqua gravati sanguine cerebri symptomata deerant. Paulo post abdomen quoque sympathice aegrotare coepit, id quod maxime ciborum taedio ac retentione alvi apparuit. Qua quidem capitis diathesi congestiva cum per nonnullos menses cerebri functiones perversae essent, nulla occasione causali oblata, spasmi et quidem epileptici exstiterunt. Primum paroxysmum, Decembr. mens. exortum, diebus quatuordecim postea secutus est alter, deinde breviori etiam interstitio, ter, quater et sic pluries, ita ut eo quo receptus apud nos est tempore aegrotus ter quotidie epilepsiae insultu correptus sit.

Die XI Febr. mens. ann. 1834. nosocomium Caritatis sanandus adiit. Adfuerunt tunc temporis quae supra commemoravi signa omnia cerebri sanguine nimis impleti, ita tamen ut magis nervosa viderentur quam e congestionibus acutis profecta. Pulsus erat paulum suppressus, aliquantulum justo frequentior, respiratio paulo tardior et difficilior, lingua muco albido obtecta, alvi excrementa nimis rara, appetitus ciborum mediocris,

sitis haud nimis aucta. Segniores denique erant corporis motus et loquela.

Curae ratio.

Congestiones versus caput tollendas pro Indicatione causali medici nostri habentes, qua sanguinis copia minueretur ejusque fluxus a capite derivaretur, curationem instituerunt. Venaesectione igitur facta ad usum internum aegroto praescriptum est

Rp. Solut. Natr. sulph. (ex ℥j ß) ℥vj.
Tart. stibiat. gr.j.
Sol. succ. Liquirit. ℥ß
MDS. hora quaque cochl.

Quibus quidem medicaminibus quamvis coenaesthesis quodammodo emandata sit, tamen per duos deinceps dies tres epilepsiae insultus exorti sunt, qui ab usitatis epilepsiae paroxysmis eo potissimum differebant, quod multo vehementiores erant, ita ut artus laederentur, deinde quod longius temporis spatium, scilicet alteram horae partem explebant magnamque afferebant vasorum concitationem. Dedolatio quoque artuum insecuta pergravis erat.

Per duas hebdomades medicaminibus antiphlogisticis et resolventibus adhibitis, etsi congestiva mala omnia sublata essent, spasmi tamen quamvis rariores redierunt. Exinde igitur, postquam digestio jam correcta erat, Indicum in auxilium vocatum est.

Die XXV. Febr. mens. aegrotus sumpsit:

Rp. Indic pulv. ℥ß
Pulv. aromat. ʒß
D.S. tria per d. cochl. min. sum. reiterat. d. IV. Mart. mens.

Initio quidem H. hoc novum remedium facile tulit, quippe qui neque vomituritione neque alvo laxa facta, normalem ciborum appetitum perpetuo retineret, dum pulverem illum adhibuit. Die XXVIII autem novus spasmus epilepticus aegrotum adortus est, a prioribus eo distinctus, quod signis nonnullis: pandiculationibus et levioribus musculorum convulsionibus praesagitus et breviori tempore exactus est. Die VI Mart. electuarii formula Indicum praescriptum:

Rp. Indic. pulv. ℥
Pulv. aromat. ʒ
Syrup. commun. ℥ß
D.S. p. diem consumendum.

Jam vero simulatque electuarii formula Indico usus

est aegrotus, appetitu minuto, sapore paene fastidioso, ventris torminibus, colica spasmodica, denique diarrhoea affectus est. Alvi excrementa nigerrimo, urina fusco colore tincta erant. Hujus autem ex Indico sumpto exortae gastroscos signa postea evanuerunt omnia, excepta diarrhoea, quae, quamvis sexies octiesque et pluries singulis diebus alvus exoneraretur, neque nutritionem neque vires imminuit.

Qua de causa Indico sumendo non solum perrectum, sed etiam dosis aucta est, ita ut Indici ℥j quotidie consumeretur. Convulsiones illae musculorum et ipsae breves et brevibus intervallis, quales strychnino nitrico adhibito apparere solent, saepius superiores aegroti extremitates affecerunt. Haec autem in nervos directa actio soli Indico utique attribuenda mihi videtur, quum, quae in aegroto nostro proferri possint causae: sanguinis versus caput congestiones, diarrhoea derivatoria plane sublatae essent, de qua re et pulsu et ipsius aegroti relatione certior factus sum, praecipue quum quae convulsiones e cerebro plethorico natus comitari solent, reliqua nervosa symptomata, uti oculorum auriumque functiones perversae, plane deessent. Nec tamen repugno, si quis putet, has convulsiones insultus vere epileptici locum tenuisse.

Die XI. Mart. mens. iisdem ultimum aegrotus affectus atque ex hoc tempore omni spasmodico impetu vacavit. Imprimis autem notandum est, epistaxin, qua suppressa epilepsiam ortam esse supra dixi, Majo et Junio mensibus rediisse. Hanc enim rem pro praecipuo argumento habere velim, epilepsiam non sanguinis congestionibus, methodo derivatoria et revulsoria remotis, sed egregii Indici medicaminis specifica contra spasmos directa virtute sublatam esse.

Aprili, Majo et Junio mens. Indico sumendo H. perrexit, modo per nonnullos dies omnisso, modo dosi diminuta, modo stomachicis adjunctis. Itaque eo perducta res est, ut nunc H. epilepticus pro plane sanato habendus videatur. Omnes enim organismi functiones ad normam fiunt.

Exstant praeterea satis memorabiles historiae de sanatis et emendatis hoc medicamine aegrotis, sed tempus spatiumque impedimentis nimis arcte circumscripta vetant, quominus hoc loco addam quas postea alia data occasione lectoribus una cum nonnullis de hac re adnotationibus tradere mihi in animo est.

Vitae curriculum.

Ego F. C. Roth Caltenebrae, Eichsfeldiae vico, die April. mens. nono patre Friderico, matre Elisabetha, Kellnerianae gentis, quos parentes morte jam dudum defunctos valde lugeo, natus et confessioni catholicae addictus sum. Primis literarum rudimentis imbutus Gymnasium Heiligenstadiense frequentavi per sex annos et dimidium. Tum vero maturitatis testimonio instructus ann. 1829 Goettingae, ab Illustr. Mitscherlich rectore in numerum civium academiae relatus sum hacque in alma Musarum sede audivi: Ill. Langenbeck de anatomia corporis humani universa; Beat. Hempel de osteologia et syndesmologia; Ill. Stromeyer de chemia experimentali; Beat. Meyer de Physice experimentali et de meteorologia; Beat. Heeren de historia universali; Ill. Marx de Medicorum literis. Inde autem, ann. 1830 Berolinum profectus, hic primum Academiae regiae med. chirurg. militaris, deinde Instituti regii medico-chirurgici Friderici Guilelmi civis annos tres et dimidium artis medicae ac chirurgicae studiis me tradidi virosque illustrissimos et celeberrimos de variis doctrinae partibus audivi: Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de historia naturali; botanice et toxicologia; Ill. Lichtenstein de Zoologia; Cel. Schultz de botanice; Beat. Hermbstaedt de chemia pharmaceutica; Cel. Turte de chemia et pharmacia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia et splanchnologia; Beat. Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum, de anatomia comparata et de physiologia; Ill. Osann de materia medica et de fontibus medicatis; Ill. F. Hufeland de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali quàm speciali; Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis syphiliticis et de morbis psychicis; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Ill. Wagner de cholera asiatica, de pathologia et therapia; Ill. Kluge de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxationibus, de arte obstetricia, de arte fascias chirurgicas applicandi et de akiurgia speciali nec non de operationibus ophthalmiatricis. In arte cadavera rite dissecandi Beat. Knape et Beat. Rudolphi duces mihi

erant. Ill. Hecker Celsi de medicina libros interpretatus est et morborum epidemicorum pristini temporis historiam tradidit. Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis atque obstetriciis virorum Ill. Rust, Bartels, Kluge, Wolff, v. Graefe, Hufeland sen., Osann et Busch et Jüngken interfui. Quos omnes praeceptores clarissimos pio gratoque animo semper venerabor.

Studiorum cursu peracto per decem menses medico-chirurgi inferioris munere in nosocomio Caritatis functus sum atque fungor.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in utraque medicina honores mihi concedantur.

Theses defendendae.

1) Carcinoma quod dicitur recti non est carcinoma.

2) Epilepsia partium genitalium stupratione adducta vix sananda.

3) Ferrum candens spondylarthrocae plus nocere quam prodesse solet.

4) Venas resorbere contendo.

5) Non existit stadium inflammationis tunicarum serosarum sine exsudatione.

6) Medici sint periti, ne docti.
